

EPITHALAMIA

Pro felici Nuptiarum auspicio

VIRI

Pl. Reverendi, Clarissimi & Doctissimi

DN. M. DAVIDIS

SCHINDLERI,

ad D. Virginis apud Lignicenses Diaconi fidelissimi

SPONSI

& Leticissima omniumq; virtutum genere ornata Virginis

ANNÆ CHRISTINÆ,

VIRI

Plurimum Reverendi, Clarissimi atq; Doctissimi

DN. CASPARIS KESLERI, Ar-

chi-Diaconi Mariani apud Lignicenses meritisissimi, vigilantissimi

FILIÆ

S P O N S Æ


d. 10. Julii celebratarum

Honoris & amoris testificandi gratiã

à

PATRONIS, FAUTORIBUS ET AMICIS

scripta.



WITTEBERGÆ, Literis JOHANNIS HAKEN,



1018423

1018423



A Spice, Conjugii Præses bone, fadere junctos,
Hisq; novis Sponsis, quod facis, ipse fave.
Da juxta lectum stent fata secunda domumq;
Et castum recreent pignora casta torum.
Da sincerus amor vigeat, sit & una voluntas,
Aspera nec tristis jurgia portet Eris.
Sponsus longævi traducat Nestoris annos,
Sponsa Sibyllinos vivat agatq; dies.

Christianus Trentschius P. P.
& h. t. Acad. Rector.

Dum Tibi legitimo sociatur fœdere conjux
Hæc, Schindlere, tuo concino vota toro;
Vivite concordēs, concordī fœdere juncti,
Vestraq; nec tristis gaudia turbet Erys.
Vos regat atque tegat, vobis benedicat Jesus,
Et fortis pellat nubila quæq; procul.
Denique transactō præsentis tempore vitæ
Vobis det Cœli prosperitate frui.

Abrab. Calovius, D.

DUm, SCHINDLERE, Tuis scribuntur
carmina tædis,
Votaq; mittuntur pectore nata pio.
Mitto simul votum : Neonymphis rideat
Æther,
Tecta q; perpetuis sint benedicta bonis!

*JOACHIMUS Nerger / Gryphi-
monte Siles. D. & Prof. Pandect.
Publ. Curia Electoralis, Scabi-
natus & Facultatis Juridica, quæ
hic Wittenberga sunt, nec non
Judicii Ducalis, quod est in Mar-
chionatu Lusatia Inferioris,
Assessor.*



SCHINDLERO canerem versus, me Thi-
lo rogavit
Atque novis tædis vota parata darem.
Optimus accepit paucissima disticha tandē,
Quæ quoque Schindlero mittet amica
manus.
Schindlerus vivat sine felle & lite sodalis,
Et videat plures, sed sine nube, dies.

Innu-

Innumeros annos vivat charissima conjunx,
Impleat atque novam prole ferace do-
mum.

*D. Michael VVendelerus, Fa-
cult. Theologicae Assessor, Theologiae
P. P. Extraordinarius & Moralis
Philosophiae P. P. Ordinarius.*

Dum celebrare cupis SCHINDLERE Hymne-
naia Festa,

Et Cliopasim Carmina leta canit :

*Quin DEus ipse adest votis, qui Fundus Amoris
Torquet inextinctas in pia corda faces :
Non blandis Thalamum Votis Ego cesso beare :
Sit sine lite, precor, non sine prole Torus.*

*Ad Per-Reverendum & Clarissimum
Dnum Schindlerum, Convictorem
olim, & nunc quoque Amicum Opti-
mum gratulabundus scribebat
Ægidius Strauch/D.P.P.*


SCHINDLERE, quot mala Patriam Vestram premunt
Silesiam, bona tot beent Te, tot Tuam.
ritis beati hic, quin & illic comprecor.

*Quod gratulab: comprecor
Constantinus Ziegra/D.P.P.*

Nulla

Nulla adeò adversisævit vis improba fati ,
Nulla adeò lacerant ingentes pectora curæ
Quas pia non possit lenire marita marito.
Contigit en! tandem Tibi tale levamen, & ANNA,
ANNA levamen erit multos, Schindlere, per an-
nos.

g. f.
Michael VValtherus,
Math. Sup. P.P.



Hunc puto vel summis æqualem regibus esse
Cui liceat castâ conjuge posse frui.
Ergò quàm lætus Te jam nunc se explicat æther,
SCHINDLER, amicitia portio magna meæ.
Quod superest, Dominus det Vobis gaudia mille
Gratiaq; in vestro ludat ubique toro.

*Amico suo veteri, Per-Reverendo
& Clarissimo Viro gratulatur
ex tempore fudit*

Augustus Pfeiffer/Lingg.
Orient. Prof. Publ. Ex-
traord.

ANNA est, quam lecto junxisti fœdere sacro,
Inq; oculis quæ nunc Te gerit inq; sinu.
Annuat Omnipotens, DEUS annuat optimus, ANNA
Anno tranfacto mater ut esse queat.

M. Augustus Fleischauerus,
Ecclesiæ Witteberg.
Archidiac.

Q Vi Tibi Sol surgit, tot jam det gaudia lecto,
Hexameter formas quot capit hicce novas!

Clarissimo Dno. Sponso ex Amicis Academicis optimo tot bona, quot pia mentis vota esse possunt, ex animo hoc disticho precatur.

M. Johannes Peißker/
P. L. C.



C U I Nupta Bellula jungitur, Consors tori,
Secunda Nemini pio Zelo in DEUM,
Medicina plurium malorum, Blandula,
Quàm Persicus Rex est habendus ditior.
Qui in Leucori complexus es Musas tuas,
Jam amplexibus patriæ teneris *Nymphula*,
Symmysta pervigil Gregis Lygnicii;
Sit Sponsa Tibi solatium Sponso novo,
Sit juncta prosperiore, quæso, sydere,
Sit fertilis Torus, Domus sinè Jurgiis.

Honori lectissimorum Neonymphorum Nuptiali velificaturus scrib.

M. G. Barthelius, Sil.
S. VV. C.




S P onse, tui thalami felicia gaudia, votis
Prosequor, atque animo prospera cuncta
precor.

Ini-

Principium felix, medium felicius esto:
Optatus tandem finis utramque trahat.

*Hac pauca in Academica Amicitia
memoriam gratulabundus
apponebat*

M. Gotfrid Eckhardt.



Wie ist / Mein grosser Freund / Er nicht schon längst
vermählet?

Wie läst Er sich denn noch in ander Bündnüs ein?
Hat Ihm zu Sophien noch eine Braut gefehlet?

Wie? werden beyde Sie auch wohl vergnüget sein?
Ach ja/denn jene wil bey Tage sich ergehen /
Und diese nimbt die Nacht mit Ihme sich zu legen.

Mit diesen wenigen legte seine
Schuldigkeit ab

M. Andreas Helwig,
von Görlitz

